



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Liber VIII. Quo refertur doctrina D. Hieronymi: deinde exponitur, &
declaratur error Semipelagianorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)

an de Petro intelligere, ejusdem reliquit arbitrio in libris Retractionum.¹ Exponebantur de D. Petro in Hymno quodam D. Ambrosii, qui tum cantabatur. Asserebat quoque Augustinus, parum laborandum esse Carthaginiensi Episcopo de tot hostium conspiratione,² cum se videret Romanae Ecclesiae, in qua semper Apostolica Cathedra viguit principatus, per communicatorias literas esse conjunctum, apud quam dictus Episcopus Carthaginis, quae prima erat Africae Metropolis paratus esset causam suam dicere. Illud Lucae: Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, sic fuit expositum à D. Augustino:³ hoc est, ne auferatur ex ore tuo Verbum veritatis. Quod Bonifacius Papa Imperatoriam etiam, uti paulò antè innuimus, auctoritatem contra Pelagianos adhibuerit, quodque à multis reprehendebatur, in antecessum ab Augustino probatum fuit, qui

Tractatum conscripsit contra dicentes, non utendum esse supremam potestate ad corrigendos Donatistas. In alià Epistola:⁴ Quis non laudat, ait, leges ab Imperatoribus datas adversus sacrificia Paganorum? Et certè longè ibi pena severior constituta est; illius quippe impietatis capitale supplicium est. Profectò qui S. Sedis Decretis non acquiescit, qui non reveretur Edicta Pontificia in materia dogmatis, immò nè Regiis quidem Mandatis obtemperat, alium planè Magistrum se agnoscere profiteri debebat, quam Augustinum; illum nempe virum, qui Rescriptis Romæ advenientibus causam pronuntiabat finitam;⁵ qui docuit, neminem sibi id sumere debere, ut discutere velit ea, quae à Sede Apostolica jamtum fuere discussa; sed pervicaciam hujusmodi hominum à Potestatibus coercendam esse christianis.⁶

(1) Epist. 53. n. 2. Si enim ordo Episcoporum sibi succedentium &c. Dominus ait: super hanc petram &c. Retr. l. 1. c. 21. Harum autem sententiarum, quae sunt probabilior, eligat Lector. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus B. Ambrosii. (2) Ep. 43. n. 7. (3) in Pl. CXVIII. Serm. 13. n. 3. (4) Epist. 95. n. 10. (5) Serm. 131. n. 10. Inde Rescripta venerunt; causa finita est. (6) Op. imp. n. 103. Quid adhuc quaeris examen, quod jam factum est apud Apostolicam Sedem? non aabuc examinanda, sed coercenda est à Potestatibus christianis.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

HISTORIAE THEOLOGICAE

LIBER VIII.

Quo refertur Doctrina D. Hieronymi. Deinde exponitur, & declaratur Error Semipelagianorum.

I. Quandoquidem cum Pelagianis sub ipsa haeresis nascentis primordia omnium primus congressus fuit magnus Doctor Ecclesiae Hieronymus, recensebimus modò ejus sententias variis Operum suorum locis sparsas, ac disseminatas. Epistola ad Ctesiphontem ridet praetensam ab iis impeccantiam, & *arra diav*, atque ex clarissimis Scripturae locis demonstravit, quantum eorum opinio abesset à vero; quomodo item justì, quos vocat Scriptura, tales appellati fuerint, quia in ipsis praevalabant virtutes. Advertit fraudem Pelagianorum, cum adjiciebant: *non absque Dei gratia*.¹ Intelligebant enim ejus nomine liberum arbitrium, & legem; abutentes malitiosè dicto illo Isaiae: *Posuit Deus legem in adjutorium*. Reprobavit eorum doctrinam, quod destruat voluntas, (h. e. liberum arbitrium,) si alterius ope indiget.²

Ostendit, quantum nefas sit arrogare quendam sibi, quod Dei non amplius indigeat auxilio. Docuit: ipsum liberum arbitrium Dei niti auxilio, illiusque ad singula ope indigere, id quod negabant Pelagiani.³ Ostendit ex eo, quod omnia possimus nobismet ipsis consequi, supervacaneas esse preces, & jejunia. Recensuit loca Testamenti veteris, & novi, quibus docemur, velle & curvere meum esse, sed ipsum meum finè Dei semper auxilio non fore meum;⁴ docemur item, praecepta servatu esse possibilia, sed virtute Coelestis gratiae; neque satis esse, quod concessum nobis semel fuerit arbitrium, sed ad omne opus bonum semper Divino opus esse auxilio.

2. OMNIA haec capita diffusè pertractavit tribus libris, in Dialogo adversus Pelagianos: ubi innumera eam in rem loca ex SS. Literis adducit, ut commonstret, docuisse

(1) Hier. Epist. in Veron. edit. 133. n. 5. Illud verò, quod ad decipiendos homines quosque postea huic sententiae coaptarunt: non absque Dei gratia. (2) n. 6. n. 7. Afferunt se per arbitrii libertatem nequaquam ultra necessarium habere Deum &c. (3) n. 10. (4) n. 6.

Christum, quod semper oporteat orare ad implorandam gratiam, & auxilium; quod ita non foret, si liberum sufficeret arbitrium. Erudit nos, expungi per baptismum peccata praeiterita, non autem sufficere illum ad nos in probitate conservandos: *Justitiam quippe labore & industria, ac diligentia, & semper super omnia Dei clementia custodiri; ut nostrum sit rogare, illius tribuere, quod rogitur; nostrum incipere, illius perficere; nostrum offerre, quo i possimus, illius implere, quod non possumus; nisi enim Dominus ad si avertit domum, frustra vigilat, qui custodit eam.* Adverte ex ipsius doctrina, quod nostrum est, ita esse à nobis, ut itidem fiat Dei, dum è contrario, quod Dei est, nequaquam nostrum evadat. Ad objectionem, *quid in nobis corone, si id ipse operatus sit?* respondet: *Nostram coronat voluntatem, quae a secessit de suo, quantum potuit; coronat laborum, quem in operando suscepit; coronat humilitatem, quod ad Dei semper auxilium confugerit.* Refert argumentum aliquod Marcionis, aliorumque haeticorum: *Si Deus sciebat, peccaturum Adam, non Adam in culpa fuit; quandoquidem irritam Dei praescientiam reddere non poterat.* Idem esto iudicium de Saule, Judà, & aliis. Respondet porro in hunc modum: ² *Judicat praesentia Deus; non futura; nec condemnat ex praescientia, quem noverit talem fore, qui sibi postea displiceret, sed tantae bonitatis est, ut eligat eum, quem integrum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestatem conversionis, & penitentiae.* Deinde: *Non peccavit Adam, quia id Deus futurum praesciverat; sed praescivit Deus quasi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus.* Mendacii itaque reum agit Deum, quia per Jonam dici voluit: *A huc triduum, & subvertetur Ninive.* Respondet tibi per os Jeremiae: *Si penitentiam egerit gens illa ob vitam peccaminosam, de qua eam increpui; agam & ego penitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Ostendit porro, inanem illam difficultatem (quod nimirum, si nihil facimus sine Deo, Deus videatur esse author peccati) in Pelagianorum etiam sententia subsistere; quia secundum ipsos non concurrat quidem, sed tamen non impedit; ³ *qui autem potuit prohibere, & non prohibuit, iudicatur in partem peccati venire.* Observat, Sanctorum sermonem aliud propemodum non esse, quam fufas ad Deum preces, quae vim faciant Servatoris pietati, *ut qui nostris viribus, & studio salvari non possumus, illius misericordia conservemur.* Ubi autem misericordia & gratia est, liberum ex parte cessat arbitrium,

quod in eo tantum est, ut velimus, atque cupiamus, & placitis tribuamus assensum. Tam in Domini potestate est, ut id, quod cupimus, quod laboramus, ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus. Exponit sapius, quomodo & voluntati, & desiderio antecedit excitatio superna, & auxilium. Hic autem ostendit, majus etiam oportere esse illud, quod nos ad operis effectum concludat. Attingit denuo sub finem, reservatam soli Deo impecantiam: *in nostra, ajens, esse positum potestate, vel peccare, vel non peccare, & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium; sed hoc pro modo, & tempore, & conditione humana fragilitatis.*

3. JEREMIAM commentans ad nostras doctes animum reflectit, quae omnes ad salutem aeternam vigorem nullum ex se habent, quapropter gloriari nunquam possumus de re tanquam nostra. ⁴ *Ubi sunt ergo, qui dicunt, hominem proprio posse regi arbitrio, & sic datam liberi arbitrii potestatem, ut Dei misericordia tollatur, atque justitia.* Ad Demetrium scribens refert verba D. Jacobi: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; & adjungit: Ubi autem gratia, non operum retributio, sed donantis est largitas.* Impletur enim dictum Apostoli: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Et tamen velle, & nolle nostrum est; ipsumque, quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.

4. EXPONENS Psalmum LXXXIX: ⁵ *Homo, inquit, Divino fruitur auxilio jam inde à suo principio; gratiae ejus debens, quod conditus fuerit, & misericordiae, quod subsistat, & vivat. Nihil boni operis agere potest absque eo: quia ita e necessitate liberum arbitrium, ut suam per singula Opera gratiam non negaret; ne liberas arbitrare-dum avert ad injuriam Conditoris, & ad ejus contumaciam, qui i Deo liber conditus est, ut absque Deo nihil esse se noverit.* In versiculis, quem secus ipse ac LXX. reddit: *Appareat apud filios tuos Opus tuum!* Ergo, inquit, in servis suis ipse Dominus operatur Opus suum. Implicatissimam difficultatem doctè dissolvit verbis antè recitatis: *concessit liberum arbitrium.* Frustra id quis negaverit; non potest tamen illud exercere ali-quod opus bonum sine gratia: id quippe contendere haeticum est. Non tamen idcirco inepti ad bonum reddimur; siquidem ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula Opera gratiam non negaret.

II. Ad quaestiones sibi ab Hedibia in caput 9. Epist. ad Rom. propositas, respondit Hieronymus, recipiens primum Platoniam

(1) Dial. 3. (2) ibid. (3) ibid. (4) in Jerem. c. IX. (5) Epist. 136. n. 12. (6) Epist. 140. n. 5. - n. 20.

nam, atque Origenianam animarum praesistentiam, cuius meritis vel demeritis tribui posset, alios, antequam nascerentur, electos, alios fuisse reprobatos, atque ita deinde interpretatur: Posteaquam Paulus suum exaggeraverat dolorem, quod Deum filius populares suos & fratres non admiserit, ideoque illi adoptione exciderint, non vult ex eo videri censere, totum perierisse Israeliticum populum; quandoquidem ipse, ceteri Apostoli, totque alii crediderant: ¹ Israel, inquit, in Scripturis Sanctis dupliciter appellatur, & in duos dividitur filios, in unum, qui juxta carnem est, & in alterum, qui juxta repromissionem & spiritum. Abraham duos habuit filios, Ismael & Isaac: Ismael, qui secundum carnem natus hereditatem patris non accepit; Isaac, qui de repromissione generatus ex Sara Semen Dei appellatur. Scriptum est enim: In Isaac vocabitur tibi semen; id est, non qui filii carnis, hi filii Dei; sed qui sunt filii repromissionis, isti aestimantur in semine. Et hoc non solum in Ismael & Isaac accidisse convincimus; sed etiam in duobus Rebecca filiis, Esau & Jacob; quorum alter abjectus, alter electus est. Et hoc totum dicit, ut in duobus prioribus fratribus, Ismael & Esau, populum Judaeorum abjectum esse significet; in posterioribus autem, hoc est in Isaac & Jacob, electum populum Gentium, vel eos, qui ex Judaeis in Christum credituri erant. Et quoniam hoc volens approbare, proposuerat testimonium nascentium geminorum, Esau & Jacob, de quibus scriptum est: Major serviet minori. Et in Malactia legimus: Jacob dilexi, Esau autem odio habui; venientem de latere quaestionem more suo proponit, & differit; & hac soluta revertitur ad id, de quo caperat disputare. Si Esau & Jacob necdum nati erant, nec aliquid egerant boni aut mali, ut vel promererentur Deum, vel offenderent; & electio eorum, atque abjectio non merita singulorum, sed voluntatem eligentis, & abjicientis ostendit; quid ergo dicemus? Iniquus est Deus? secundum illud exemplum, quo loquitur ad Moysen: Miserebor, cui misertus fuero; & misericordiam prestabo, cui miserebor. Si hoc, inquit, recipimus, ut faciat Deus, quodcumque voluerit, & absque merito, & operibus vel eligat aliquem, vel condemnet; ergo non est volentis, neque currentis, sed misentis Dei; maxime, cum eadem Scriptura, hoc est, idem Deus loquatur ad Pharaonem: In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, & annuncietur nomen meum in universa terra. Si hoc ita est, & pro voluntate sua misereatur Israeli, & indurat Pharaonem: ergo frustra queritur, atque causatur, nos vel bona non fecisse, vel fuisse mala; cum in potestate

ipsius sit, & voluntate, absque bonis & malis operibus, vel eligere aliquem, vel abjicere; praesertim, cum voluntati illius humana fragilitas resistere nequeat.

2. QUAM validam quaestionem, Scripturarum ratione contextam, & penes insolubilem brevi Apostolus sermone dissolvit, dicens: O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Et est sensus: Ex eo, quod respondes Deo, & calumniam facis, & de Scripturis tanta perquiris, ut loqueris contra Deum, & justitiam voluntatis ejus incusas, ostendis, te liberi esse arbitrii, & facere, quod vis, vel tacere, vel loqui. Si enim in similitudinem vasis fictilis te a Deo creatum putas, & illius non posse resistere voluntati: hoc considera, quia vas fictile non dicit figulo: quare me sic fecisti? figulus enim habet potestatem, de eodem luto, aut eadem massa aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam. Deus autem equali cunctos forte generavit; & dedit arbitrii libertatem, ut faciat unusquisque, quod vult, sive bonum, sive malum: in tantum autem dedit omnibus potestatem, ut vox impia disputet contra Creatorem suum, & causas voluntatis illius perscrutetur. Sin autem Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irae, apta ad interitum, ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae preparavit in gloriam; quos & vocavit; non solum nos ex Judaeis, sed etiam ex Gentibus; sicut in Osea dicit: Vocabo non plebem meam plebem meam; & non dilectam dilectam; & erit in loco, ubi dictum est eis: non plebs mea vos; ibi vocabuntur filii Dei vivi: & cetera, quae sequuntur. Si, inquit, patientia Dei induravit Pharaonem, & multo tempore penas distulit Israelis, ut justius condemnaret, quos tanto tempore sustinuerat: non Dei accusanda est patientia, & infinita clementia; sed eorum duritia, qui bonitate Dei in perditionem suam abusi sunt. At quin unus est solis calor, & secundum essentias subjacentes alia liquefacit, alia indurat; alia solvit, alia constringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum: & tamen caloris non est diversa natura. Sic & bonitas, & clementia Dei, vasa irae, quae apta sunt in interitum, id est populum Israel indurat: vasa autem misericordiae, quae preparavit in gloriam, quae vocavit; hoc est nos, qui non solum ex Judaeis sumus, sed etiam ex Gentibus, non solvat irrationabiliter, & absque judicii veritate; sed causis praecedentibus: quia alii non susceperunt Filium Dei; alii autem recipere sua sponte voluerunt.

3. HAEC autem vasa misericordiae, non solum populus Gentium est, sed etiam hi, qui ex Judaeis credere voluerunt, & unius credentium effectus est populus. Ex quo ostenditur,

Comparatio
petita ex
Origene.

(1) Hier. Epist. 120, m. 150, ad Hedib, quaest. 16,

non Gentes eligi, sed hominum voluntates: Atque ita factum est, ut impleveretur, quod dictum est in Osea: Vocabo non plebem meam plebem meam &c. Quod nō solum de Gentibus dicere videretur, etiam eos, qui ex Israëlita multitudo crediderunt, vasa misericordiae, & electionis appellat. Adducit deinde Hieronymus verba Isaiae de reliquiis Iudaeorum salvatis, Deūque per incarnationem Christi res ita disposuisse, ut eos salvos faceret, qui in eum credere voluissent. Quare subiungit ea, quae ex dictis Pauli obijciuntur: Igitur non est volentis, neque circumventis. Igitur miseretur, cui vult misereri; & quem vult, obdurat. Igitur, quis vestret ei? Ad quae respondet: nos terram esse, & cinerem; non convenire, ut vas interroget figulum; figulum ex eadem terrae massa pro arbitrio effingere vas aliud in honorem, aliud in contumeliam; temerarium esse seiscitari ex Deo velle, cur in alios benignum se, severum contra praestet in alios; alios ope baptismi & fidei eximendis peccato originis, alios autem eodem relinquens obstrictos. Ut autem appareat, hunc esse sensum, quo accipit, & exponit huiusmodi metaphoras Hieronymus, sufficit intendere oculos in ea, quae praemissit: Vasa misericordiae, item salvos factos, aliud non esse, nec de aliis exponi debere, quam de iis, qui in eum credere voluerunt.

III. QAESTIONE subsequente ab Hedibā propositā innuit Author. noster, homines suo arbitrio derelictos esse, neque enim bonum necessitate facere, sed voluntate, ut credentes coronam accipiant, increduli supplicis mancipentur. Ita porro scribens contra Iovinianum: ³ Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas, nec corona est. Sed in bonis operibus perfectior est Deus; non est enim volentis, neque circumventis, sed miserentis, & adjuvantis Dei, ut pervenire valeamus ad calcem. Eodem libro de mansionibus in Caelo affirmat: ⁴ Parata sunt in Caelo diversae, & plurimae mansiones, plurimae, diversaeque virtutibus, quas non personae accipiunt, sed opera. Frustrā ergo a me petitis, quod in vobis situm est; quod Pater meus illis paravit, qui dignis virtutibus ad tantam ascensuri sunt dignitatem. Dixerat idem paulō antē.

2. In Epistolam ad Gal. quō loco Apostolus segregatum se ait à Deo jam indē ab uterō materno. Inveniunt hīc, ait, materiem haeretici contententes, tria dari naturarum genera; atque inde electionem haeci, & reprobationem. Ad quos, inquit, potest simpliciter responderi, hoc ex Dei

praescientia venire, ut quem scit, iustum futurum esse, prius diligat, quam oriatur ex utero; & quem peccatorem, odevit, antequam peccet. Non quod & in amore, & in odio iniquitas Dei sit, sed quod non aliter eos habere debeat, quos scit vel peccatores futuros esse, vel iustos. Nos ut homines tantum de praesentibus iudicare illam, cui futura iam facta sunt, de fine rerum, non de exordiis ferre sententiam. In progressu ad verba illa: Accepi... per revelationem 7. C. & illa Joannis: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; hoc profert dogma: Ex his perspicuum fit, naturā omnibus Dei inesse notitiam, nec quēquam sine Christo nasci, & non habere semina in se sapientiae, & iustitiae, reliquarūque virtutum. Unde multi absque fide, & Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua, vel sancte... (erga parentes & proximum) atque ideo magis iudicio Dei obnoxii sunt, quod habentes in se principia virtutum, & Dei semina non credunt in eo, sine quo esse non possunt. Dicit etiam alibi: ⁶ Ex eo, quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, siquid boni fecerint, non absque mercede, Dei iudicio praeteriri. Intellige de mercede temporaneā, quandoquidem ad promerendam aeternam requiruntur virtutes, actionesque à gratiā ad ordinem superiorem elevatae.

3. In illud: ⁷ Persuasio haec vestra non est ex eo, qui vocat vos, affirmat, ita legi oportere, nē pugnet hic locus cum exprobratione paulō antē ipsis factā, quod non obediērint veritati, hāc ratione ostendens, postum fuisse in eorum arbitrio obedire, & non obedire. Et postea: Aliud quippe Dei opus est, aliud hominum. Dei opus est vocare; hominum, vel credere, vel non credere. Et sicut alibi de Scripturis liberum hominis affirmatur arbitrium, ut cum dicitur: Si volueritis &c. & in hoc loco maxime comprobatur &c. sive ergo in bonam, sive in malam partem, nec Deus, nec diabolus in causā est, quia persuasio nostra non est ex eo, qui vocavit nos; sed ex nobis, qui consentimus, vel non consentimus vocanti. Quo significare vult, ex pluribus aliis locis confici, consensum non esse tribuendum Deo, quemadmodum vocatio; haec enim à Deo solo est, ille & à Deo, & à voluntate. Quia verò haec sola apparet, & vocatur consentiens, hinc sola illa causa appellatur.

4. INTERPRETANS Epistolam ad Ephes. & locum illum: quod electi simus à constitutione mundi, ut sancti essemus, dictum hoc ad praescientiam Dei pertinere, ait, cui omnia futura iam facta sunt, & antequam fiant

Deus solus
vocat: homo
cum Dei
gratiā con-
sentit.

Prædestina-
tio est gra-
tuita.

(1) ibid. qu. 10. O homo, qui terra & cinis es &c. (2) qu. 11; (3) cont. Jovin. l. 2. c. 2. (4) cap. 15. (5) ad Gal. c. 1. (6) in Ezech. c. 29. v. 19: (7) ad Gal.

universa sunt nota. Eandem explicationem confirmavit 18. annis post, scribens contra Ruffinum. Atque eundem in modum intelligit, Paulum fuisse praedestinatum in utero matris. Reprobaretiam hic admittam à nonnullis praëxistentiam animae, ut dicere deinde possint: Non ex praëjudicio scientiae suae eligere Deum, sed ex merito praecedente, & sanctitate electorum, docetque, non eligi, quia sancti, & immaculati; sed eligi, ac praedestinari, ut in consequenti vita per opera, ac virtutes sancti fiant. Mox subdit: Nos homines plerumque volumus facere consilio; sed nequaquam voluntatem sequitur effectus. Illi autem nullis resistere potest, quin omnia, quae voluerit, faciat. Vult autem ea, quaeque sunt plena rationis, atque consilii. Vult salvari omnes, & in agnitionem veritatis venire. Sed quia nullus absque propria voluntate salvatur: liberi enim arbitrii sumus; vult, nos bonum velle, ut cum voluerimus, velit in nobis & ipse suum implere consilium.

In caput adum, ubi agit de eo, quod salvisimus per gratiam, & fidem; & quod fides non proveniat à nobis, sed illo, qui nos vocavit, Addidit, inquit Hieronymus, ... fidem quoque ipsam non nostram voluntatis esse, sed Divinam. Non, quid liberum pollatur arbitrium, &c. verum quod arbitrii ipsa libertas Deum habeat auctorem, & ad illius beneficium cuncta referantur. Atque haec est una ratio; alteram quoque alio in loco observat esse, quod Deus operetur in nobis. Post haec: Hoc autem totum, inquit, ne quis gloriatur, à semetipso, & non à Deo esse salvatum.

5. LEGITUR in Operibus sancti hujus Doctoris: ¹ Si Dei praecepta custodiens filius qui efficitur Dei, non esse igitur naturam filium; sed arbitrio suo. Legitur: ² In potestate nostra esse, ut velimus esse perfecti. Non oportere suam quencumque accusare humorum temperiem: ³ Omnes enim homines virtus nostris favemus; & quod propria facimus voluntate, ad naturam referimus necessitatem. Neminem ⁴ secundum naturam esse pollutum, sed aequaliter omnes ad Christi gratiam provocari. Idquod intelligitur de antecedente omnes salvandi voluntate, mediisque ad salutem planè necessariis; non autem perinde accipi debet, ac si non daretur praedilectio. Legitur ibidem: Tantum gratiae ejus infundi, quantum valeamus haurire. Epistola quaedam ad Damasum Papam in Paulum commentans docet, gratiam Evangelii non esse ⁵ ex meritis retributam; sed ex donante

concessam. Dedisse Deum omnibus ⁶ liberum arbitrium, dedisse mentis propriae libertatem, & ut viveret unumquemque non ex imperio Dei, sed obsequio suo; idest non ex necessitate, sed ex voluntate, ut virtus haberet locum, & à ceteris animantibus distaret; dum ad exemplum Dei permittitur nobis facere, quod velimus; quamobrem iustum peccatoribus iudicium, & iustum bonis iudicium retribuitur. In eadem ait: Solus Deus est, in quem peccatum non cadit: cetera cum sint liberi arbitrii, juxta quod & homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus est, in utramque partem possunt suam flectere voluntatem.

IV. In Commentario in Ezechielem habetur, locutum sic fuisse Deum, ⁸ ut liberum hominis monstraret arbitrium, ne praescientia futurorum mali vel boni immutabile faciat, quod Deus futurum noverit. Non enim, quia ille ventura cognoscit, necesse est non facere, quod ille praescit; sed quod nos propria sumus voluntate facturi; ille novit futurum quasi Deus. Idem in Jeremiam ⁹ ad verba illa: Si forsitan audierint, & convertantur, haec habet: Verbum ambiguum forsitan Majestati Domini non potest convenire; sed nostro loquitur affectu, ut liberum hominis servetur arbitrium; ne ex praescientia ejus quae ex necessitate vel facere quid vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus scit futurum aliquid, ideoque futurum est; sed quia futurum est, Deus novit, quasi praescit futurorum. Redeamus ad Ezechielem, ubi in illud: ¹⁰ Aperui os meum, quia dixit ad me Dominus: Fili hominis, comede! ita Hieronymus: Et aperto ore Dominus largitus est cibos, ut initia voluntatis in nobis sint. & perfectionem beatitudinis à Domino consequamur: non est enim volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; attamen & velle, & currere nostri arbitrii est. Alio capite concludit: Ergo Domini voluntas est, omnes salvos fieri. ¹¹

2. In illud Isaiae: ¹² Si volueritis, & audieritis me, haec animadvertit: Liberum servat arbitrium in utramque partem, ut (*) non ex praedilectione, sed ex meritis singulorum vel poena, vel premium sit. Et alibi: ¹³ Haec autem universa dicuntur, ut liberum hominis arbitrium monstraretur; Dei enim vocare est, & nostrum credere. Nec statim finis credimus, impossibilis (*) Deus est; sed potentiam suam nostro arbitrio derelinquit, ut iuste voluntas premium consequatur. Inquit alio loco, evasisse demonem omnium malorum artificem, non necessitate naturae, sed mentis arbitrio. ¹⁴ Atque ex eo, quod Phariseos meretrices,

Praescientia non tollit libertatem.

Afferitur liberum arbitrium. (*) sic legendum.

(*) lege impotent.

(1) in Matth. c. V. (2) in c. XIX. (3) Ep. 55. n. 3. ad Amant. (4) Ep. 112. h. 7. ad August. (5) con. Jov. l. 2. Ep. 21. n. 2. (6) ibid. n. 6. (7) n. 40. (8) in Ezech. c. II. (9) in Jerem. l. 5. c. 26. (10) in Ezech. c. III. (11) ad cap. XVIII. (12) ad II. c. 1. (13) ad cap. XLIX. (14) ad cap. LIV. & LV.

Publicani, & latrones in Cælum præcesse-
rint, colligi, illum Evangelii locum: *Arbor
bona non potest malos fructus facere, nequa-
quam referri ad naturæ proprietatem, ut bæ-
retici volunt, sed ad mentis arbitrium.* Quia
denique ita concluditur: *Facite arborem bo-
nam, & fructus ejus bonos.* Ex quo perspi-
cuum est, unumquemque propriâ voluntate fa-
cere animæ suæ bonam, vel malam arborem,
cujus fructus varii sunt. Non dissimilia pro-
fert sensa in Zachariæ caput i. i. m. Lo-
quens porro de eo, quod non omnes salvi
effecti sint, quamquam Salvator, quantum
de se erat, omnes veller salvos, siquidem
omnes redemit, asserit, id ipsorum volun-
tate factum esse, ¹ quæ credere noluit;
affirmatque, excitatos à Deo illos fuisse ad
salutem, ut voluntatem eorum efficere pos-
set præmio: ipsos autem noluisse. *Volun-
tatem igitur venientis fuisse, ut omnes crede-
rent, & salvarentur.*

3. IN Malachiam, qui innuit, quod Deus
amaverit Jacob, Esau autem odio habue-
rit; ideoque ipsi, ejusque posteris in hære-
ditatem assignaverit montes solitarios, &
desertos; declaratâ primùm historiâ ad
sensum tropologicum progrediens adver-
tit primùm: ² *Sicut Esau & Jacob de unâ
stirpe fuere generati; ita & vitia atque virtu-
tes ex uno cordis fonte procedere: dum ex ar-
bitrii libertate in utramque partem, ut volumus,
declinamus.* Eundem in modum locuti
etiam fuere Patres græci; at intelligentes
semper, uti & faciebat Hieronymus, posse
quidem ad malum se solâ voluntatem se
determinare, non item ad bonum; quippe
cujus primus author semper est Deus. Ex-
plicat deinde, *dilectionem, & odium Dei vel
ex præscientiâ nasci futurorum, vel ex operibus;*
nullâ enim aliâ de causâ odisse Deum ali-
quid eorum, quæ fecit. Itâ in Abdiam ³
docet, significari à Prophetâ, quod anima in
meditatio vitiorum, atque virtutum posita sit,
& possit in utramque partem per horarum mo-
menta converteri.

4. REFEREMUS iridem D. Hieronymi
verba in versiculum illum: ⁴ *Non declines
cor meum ad verba malitiæ, ad excusandas ex-
cusationes in peccatis.* O infelicissimum, inquit,
humanum genus, qui peccata excusamus, dicen-
tes: *visus sum à naturâ; cum in potestate nostrâ
sit, & peccare, & Dominò adjuvante non pec-
care!* Semper excusamus nosmet ipsos, & dici-
mus: *Ego nolebam peccare; caro me vitit: illa
mulier venit ad me, ipsa misit, ipsa me tetigit,
ipsa mihi illud dixit, ipsa me vocavit: & pro
quo debueramus penitentiam agere, & dicere:*

*Domine peccavi, excusamus, & jungimus pec-
cata peccatis. Equale corpus habemus omnes,
diversos autem labores. Non est personarum
acceptor Deus. Vis ergo scire, quod equale
habemus & nos, & Sancti corpus? Paulus
Apostolus dicit: Video autem aliam legem re-
pugnantem legi mentis meæ, & captivantem
me in lege peccati. Et iterum post hæc: Prop-
terea castigo corpus meum, & in servitu-
tem subicio, ne aliis prædicans ipse reprobus
inveniar.*

5. AB institutò nostro alienum non est,
hic demum innuere, eximio huic Doctori,
summòque intelligendæ Scripturæ inter
Latinos Magistro solenne fuisse, in fidei con-
troverisiis omnia summorum Pontificum
judicio deferre. Itâ scripsit Patriarchæ Ale-
xandrino: ⁵ *Sed tamen scito, nobis nihil esse an-
tiquius, quam Christi jura servare; nec Patrum
transfere terminos; semperque meminisse, Ro-
manam fidem Apostolico ore laudatam, cuius se
esse participem Alexandrina Ecclesia gloria-
tur.* In eandem sententiam scripsit Antio-
chiâ ad Damasum Papam, servente in Orien-
te de tribus Hypostasibus controversiâ: In
tantâ opinionum dissensione mihi ⁶ *Cathe-
dram Petri, & fidem Apostolico ore lauda-
tam censui consulendam apud vos solos in-
corrupta Patrum servatur hæreditas Ego
nullum primum vidi Christum, sequens Beati-
tudini tuæ, idest Cathedræ Petri communione
consocior.* Super illam Petram ædificatam Ec-
clesiam scio: *quicumque extra hanc domum
agnum comederit, profanus est quicumque
tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi
non est, Antichristi est.* Videbatur equidem
ipsi propter communem DD. sententiam
itâ loqui fas non esse, & Concilio Nicenò
repugnare. Nihilominus, *Decernite, sub-
jungit, decernite, obsecro, si placet; & non
timebo tres Hypostasies dicere.* In aliâ Epistolâ
ait: *Intres partes scissa Ecclesia ad se rapere me
festinat Ego interim clamito, siquis Cathe-
dræ Petri jungitur, meus est.* ⁷ Causam etiam
suggessit, repetens eam ab autoritate su-
prema uni collatâ; ut nempe *Capite con-
stituto schismatis tolleretur occasio.* ⁸ Dissoc-
iari non facile possunt, qui unum sequun-
tur ducem: rectè igitur summus Pontifex
appellatus fuit *Centrum unitatis.*

6. QUINQUE libros adversus Hierony-
mum edidit Theodorus Mopsvestenus; cò
potissimum spectantes, ut everteretur dog-
ma de peccato originis, derogareturque
authoritati Occidentalium; quas credere
ajebat, hominem non voluntate, sed naturâ
peccare. Refert eos Photius, apud quem

Hieronymi
reverentia
erga S. Se-
nem.

(1) ad c. 63. Quare multi non sunt salvati, si ipse salvavit eos, & dilexit, & redemit Voluit itaque Deus
salvare cupientes, & provocavit ad salutem, ut voluntas haberet præmium; sed illi credere noluerunt Sed vo-
luntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent, & salvarentur. (2) in Malach. c. I. (3) in Abd. c. I. (4) in
Pl. CXL. (5) Epist. 63. ad Theoph. (6) Epist. 15. ad Damasum. n. 1. (7) n. 4. (8) Epist. 16. n. 2. adv.
Jovin. l. 1. c. 14.

videre est, quo pacto Theodorus unâ ex parte impugnauerit verum; ex aliâ autem nobis falsâ affinixerit. Non abs re factum fuit, quod in recensendâ doctrinâ Hieronymianâ fuerimus fusiores: Eminent enim ipse, ac singulari ceteros inter Patres splendore promicat, atque ab ipso Augustino communis omnium maximè in Scripturæ intelligentiâ, & linguarum cognitione Magister habitus est; ab Augustino, inquam, qui dicebat, *omnes illum, vel pæne omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis aliquid de doctrina Ecclesiastica scripserant, legisse.*¹

PRÆTERMISIMUS Ruffinum Aquilegensem, quia hoc argumentum non attigit. Displicuerunt aliquæ ejus loquendi formulæ; deprehensusque fuit non satis sibi in sententiis constare. Extant tamen in ejus versione de Principiis sententiæ Catholicissimæ; cujusmodi est hæc: *Humanum propositum* (idest humana voluntas) *solum per se ipsum imperfectum est.* In Comment. Epistolæ ad Rom. qui ipsius potius esse creditur, quàm Origenis, legitur: *Nunc verò, cum electio eorum (ad fidem) non ex operibus facta sit, sed ex proposito Dei, & ex vocantis arbitrio.* Quibus verbis etiam Semipelagianorum principium evanescit, de quibus jamjam verba sumus facturi.

Hæresis Semipelagianæ institum, & dogma.

V. POSTREMIS annis D. Hieronymi ex Pelagianæ hæresis cineribus enatus est error alius, qui, quòd ex priore partem retineret, Semipelagianus dici cœpit. Fuit nimirum, qui ad retinendam in vigore illius opinionis Summam, magnam ejus parrem deferuit, additionibusque modificavit. Fuit item, qui bono animo, & merito scientiæ defectu, non capiens satis, quo pacto phrasæ quædam Augustinianæ conciliari cum Patrum antiquiorum doctrinâ & libertate possent; tamen Pelagianos in errore magis manifesto damnaret; insistere tamen vellet sententiæ alicui falsæ itidem & reprobandæ. Cujus cardo in eo vertebatur, quòd assererent, necessarium non esse, ut fidem nostram, primùmque voluntatis motum præcedat gratia: quo dogmate licet damnabant Pelagianos, non admittebant necessitatem gratiæ ad opera; nolebant tamen eam ad principium voluntatis admittere; plenè quasi principium justificationis à nobis solis, nostrisque viribus nasci in nobis posset. Fuit hoc in errore Tichonius Donatista, uti videre est apud Augustinum. Adduxit is in Regulis suis doctrinam, quam non intelligentes Pelagiani vel condiderunt suam hæresin, vel auxerunt. Laboravit in eâ solvendâ Tichonius bene, sed non plene. Disputans enim de fide,

*& operibus, opera dixit nobis à Deo dari merito fidei; ipsam verò fidem sic esse in nobis, ut nobis non sit à Deo.*²

2. DIFFUDIT se per Galliam potissimum Semipelagianâ opinio; ubi homines & doctrinâ, & vitæ sanctimoniâ illustres multum ei adjecerunt authoritatis: id quod mirum nemini videri debet; error enim ille disertis nondum verbis eo tempore fuerat damnatus. Sunt, qui opinantur, ex primis hujus Authoribus fuisse Joannem Cassianum, qui eodem primùm imbuat conditum à se Cœnobium Massiliæ; tum complures ex Clero, ac demum Lerinensem Insulam, celebrem à multis Monachis, iisque insignibus, qui ibidem florè-re. Cassianus, qui Diaconus creatus fuerat à D. Chrysostomo, in re adeò subtili hallucinandi, errandique ansam forsitan hauserat ex quibusdam ejus Homiliæ locis non rectè intellectis, aut cum aliis non pro eo, ac par erat, collatis. Subidem ferme tempus similis orta est controversia in Africa; nonnullique ex Adrumetinis Monachis, ob difficultatem quandam in Augustini Epistolâ repertam, ac deinde Vitalis quidam Carthagine occupatos hoc errore animos præ se ferebant, qui tamen obnitente Sancto eâ in regione porro non invaluit. Conscriptus tamen ab ipso hac occasione liber majores Massiliæ disceptationes excitavit, uti videre est in Epistolâ Prosperi Aquitanici.³ Habetur in illâ, quomodo etiam Hilarius Arelatensis Episcopus, cum aliis authoritate, & probitate conspicuis, in eadem fuerit opinione. Quare nos eos eâ in re libros conscripsit Augustinus, paulò post mortuus, contra quos magni etiam concitati fuere tumultus.

VI. RELATORI jam sumus peculiaria Sectæ hujus adjuncta, quæ tamen, uti in erroribus fieri consuevit, non eadem semper fuere. Prostitutebantur necessitatem Divinæ gratiæ; & quod quidem operationes spectat, plurimi concedebant, præventi voluntates hominum Dei gratiâ, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quinquam sufficere posse.⁴ Atque per hoc plurimum se à Pelagianorum errore discernabant. Nihilominus non fateri recusabant, præventionem gratiæ generatim loquendo necessariam esse ad salutem; quare ad operandum quidem eam admitterebant; non item ad credendum, aut volendum. Hinc fiebat, ut non faterentur, fidem esse donum Dei; sed contenderent, initium illius esse ex nobis, hujusque virtute augmentum deinde à Deo.⁵ Assentiebantur, ad finem perducere nihil posse sine

(1) Phot. cod. 177. πρὸς δὲ τοὺς ἀπὸ τοῦ δόξαν &c. φέρει, καὶ ἡ γράμμη. (2) in Rom. l. 7. c. 9. (3) Aug. de Doctr. Chr. l. 3. n. 46. (4) inter Augg. 225. (5) Aug. de Præd. SS. n. 1. (6) n. 3. Ex nobis quidem nos habere ipsam fidem; sed incrementum ejus ex Deo &c. ex nobis esse fidei ceptum, & ex Deo supplementum.

Deo;

ne Deo; velle tamen planè nostrum esse censebant, adducentes dictum illud: *Velle quidem mihi adjacet; perficere autem non invenio.* Permittebant, virtutes Christianas de Cælo venire; hæc tamen, ut à Deo darentur nobis, fidem impetrare, quæ incipit à nobis.¹ Atque hæc consentiebant cum Pelagianis, quorum dogma præcipuum erat: *Gratiam Dei secundum merita nostra dari. Si enim non pertinet ad Dei gratiam, quod credere cepimus, sed ad id solummodo, quod per fidem deinde nobis conceditur; initium fidei nostræ priores damus Deo, ut retribuat nobis.*²

2. SCIMUS sanè ex Augustino: *Ex eo, quod à nobis quis diceret initium fidei, ut eo cetera Dei dona mereamur accipere, conclusisse Pelagianos, gratiam secundum merita nostra dari.* Quam propositionem ipse etiam Pelagius, nè hæretici notam incurreret in Concilio Palestinæ se finxit condemnare. Et quamvis Semipelagiani ad omnia opera gratiam admittebant; nihil inde detrimenti accepturam credebant suam sententiam. *Neque enim,* ut scripsit Hilarius, *alicui operi curationis eorum annumerandum putabant . . . ægrotum velle sanari; & nullum ita depravatum vel extinctum putabant, ut non debeat, vel possit velle sanari.* Dabant è contrario, opus esse Divinæ gratiæ ad fidei incrementum; hanc enim illius antegressionem in operum numero habebant; eam nimirum ratione, quæ id exponit D. Prosper: *Cum in his, inquit, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo sint, quæ humanam operantur salutem, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia; priorem volunt obedientiam esse, quàm gratiam, ut initium salutis ex eo, qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat.* Verbo: Principium salutis malè in homine collocatur, si Divinæ gratiæ impiè humana voluntas præfertur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit; non ideo, quia adjuvatur, velit. En itaque, quo pacto & ipsi noluerint ex Deo quoad initium salutis pendere; fulciebantque hæc ratione Pelagianorum arrogantiam, credentium nimirum, non esse posse liberum hominis arbitrium, si Divinæ semper ope indigeat. Injurii itidem erant in Dei omnipotentiam; quippe quam nobis reddebant subiectam, adeò quidem, ut ad primam nobis fidem largiendam, expectari ab ipsâ nostram prius opus esset voluntatem; atque hoc, ut promissa sua Deus possit implere, non esset in Dei, sed in hominis potestate, quemadmodum dixit Augustinus.³

3. SEMIPELAGIANI libero arbitrio sub initium adjudicabant & operationum principium, & complementum; complementum postea cessare, retento duntaxat sibi earundem principio: quanquam & hoc demum cesserint, saltem quod attinet ad ipsam operationem; primum tamen sibi motum voluntatis, fideique initium retinentes. Huic jamtum receptui cecinerant, quando de iis dixit Augustinus: existimare ipsos, liberum tolli arbitrium, *si nec ipsam bonam voluntatem sine adjutorio Dei hominem habere consenserint;* & quando communi omnium resurrectione adacti, confessi sunt auxilium Divinum, & internum ad consequendam justitiam; ita tamen, ut sui aliquid præcedat meriti, quasi priores volentes dare, ut retribuat eis.⁴ Immo occæperant paulò antè dicere, non concedi verè gratiam ob operationum merita; sed ob antegressum bonæ voluntatis meritum. Ipse Augustinus antequam planè hæc in re collustraretur, & quando in eodem opinionis, quæ postmodum Semipelagiana dicta est, errore erat, ita loquebatur: *Quod ergo credimus, nostrum est; quod autem bonum operemur, illius est, qui credentibus, & volentibus dat Spiritum Sanctum.* Et postea: *Non ergo eligit Deus benè operantes, sed credentes . . . nostrum est enim credere & velle; illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum Sanctum.* Intelligebat per hoc tum temporis Augustinus, primam fidem ita nostram esse, ut Deus in ejus partem non veniret; electumque fuisse Jacobum prævisæ fidei merito, quòd ab ipso haberet initium. Hinc in Retractionum libris declaravit: *Etiam ipsam fidem inter Dei munera reperiri; & Utrumque quidem nostrum esse, & credere, & operari propter arbitrium voluntatis; utrumque tamen datum esse per Spiritum fidei & caritatis.* Ità paulò post, ubi dixerat ab ipso esse & nostrum credere, & velle; & Dei esse dare credenti, & volenti benè operandi facultatem, ita commentatus fuit: *Verum est quidem, sed eadem regulâ & utrumque ipsius est; quia ipse præparat voluntatem; & utrumque nostrum: quia non fit, nisi volentibus nobis.* In primo sibi vindicando principio animum planè obfirmarunt Semipelagiani; quæ res fecit, ut certo denique modo sibi totum retinerent; ex illo quippe, ut omnia penderent, efficiebant affirmando, *dona & auxilia gratiæ merito credulitatis accipi;*⁵ & periisse quidem omnes in Adamo,

(1) Rom. VIII. 18. de bon. Persev. n. 43. (2) de Prædest. SS. n. 3. Non ergo receditur ab eâ sententiâ, quam Pelagius ipse &c. (3) de bon. Persev. n. 54. (4) inter Augg. Ep. 226. n. 2. (5) Ep. 225. n. 6. & 7. (6) de Præd. SS. n. 20. (7) Epist. 194. n. 3. & 6. (8) de Gr. & lib. Arb. c. 14. (9) Exped. quat. Prop. n. 60. (10) Retr. l. 1. c. 23. (11) Ep. 225. n. 6.

nec nostri nos posse arbitrii viribus liberari: at cum... annuntiatur obtinenda salutis occasio, eo merito, quo voluerimus, & crediderimus, à nostro nos morbo posse sanari, & fidei argumentum, & totius sanitatis nostrae consequi effectum.¹ Adducebant hanc in rem locum illum: Crede, & salvaberis! Melius profecto & accuratius statui non potest discrimen, quod Pelagianos inter erat & Semipelagianos, quam id praestitit Augustinus Epistola ad Vitalem Semipelagianum:² *Contra Pelagianos est iste confictus tibi, nobisque communis. Illi quippe omnia ad fidem piamque vitam hominum pertinentia ita tribuunt libero voluntatis arbitrio, ut habenda ex nobis, non à Domino putent esse possenda. Tu autem, si ea, quae de te audio, vera sunt, initium fidei, ubi est etiam initium bonae, hoc est pie voluntatis, non vis donum esse Dei, sed ex nobis nos habere contendis, ut credere incipiamus. Cetera autem religiosae vitae bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quaerentibus, pulsantibus dare consentis.*

VII. PERSUADEBANT itaque sibi, gratiam supernaturalem ex naturalibus pii desiderii, fideique actibus infallibiliter consequi. Ponere, ait August.³ *jam capissimè merito gratiam praecedentia; quod est petere, quaerere, pulsare, ut his meritis debita illa reddatur.* Videmus etiam in Epist. Prosperi, dixisse eos: *Ad hanc gratiam, quā in Christo renascimur, pervenire per naturalem scilicet facultatem petendo, quaerendo, pulsando; ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturae bene usus ad istam salvantem gratiam initialis gratiae ope meruerit pervenire.* Adverte, gratiae initialis nomine eandem illos facultatem naturalem à Deo nobis concessam intellexisse. Ex quo fluebat, supernaturale auxilium ad credendum nemini concedi, nisi arbitrario voluntatis suae conatu id promeruerit. Eadem Epistola⁴ exponit D. Prosper, *consequens putare illos, ut quia praevicator ideo dicitur non obediisse, quia noluit; fidelis quoque non dubitetur ob hoc devotus fuisse, quia voluit; & quantum quisque ad malum, tantum habeat facultatis ad bonum, per se nimirum, & citra opem gratiae.* Verbo: Ex eo, quod nonnisi se ipso indigeat homo ad peccandum, inferebant Pelagiani, igitur nec indigere ad operandum cum merito. Semipelagiani autem, non indigere ad credendum, & volendum bonum supernaturale. Quapropter cum hoc pacto semper gratiam meritum nostrum praeverteret, perpetuo reprehendebantur illi ab Augustino, quod censerent: *gratiam Dei secundum*

merita nostra dari; eamque in excitanda ad ipsum opus bonum voluntate nihil operari. Definiit igitur, Pelagianum vocari, si quis ad colendum rectè Deum sine ipsius adiutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium.⁷ Semipelagianos autem eos, qui initium fidei, & usque in finem perseverantiam, sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putant.⁸

2. ALIUD item modò monendus est Lector; scilicet, professos quandoque etiam ipsos fuisse, admitti à se gratiam, quae fidem anteverteret: verum id tum intelligebant de exteriori gratia, quae ad intellectum, non item ad voluntatem pertingeret. Ità & Augustinus ipse, antequàm esset Episcopus, putabat,⁹ *fidem, quā in Deum credimus, non esse donum Dei, sed à nobis esse in nobis; & per illam nos impetare Dei dona, quibus temperanter, & iuste, & pie vivamus in hoc saeculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia praeverire... nisi quia credere non possemus, si non praecederet praconium veritatis; ut autem praedicato nobis Evangelio consentiremus, nostrum esse proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar.* Non credebat igitur praecedere fidei inspirationem occultam, nec interiorem gratiam; sed praecpta duntaxat, & doctrinam. Idcirco Vitalis, qui idem censebat, opponentibus sibi ex Apostolo: *Deum in nobis operari velle*, respondebat:¹⁰ *per legem suam, per Scripturas suas Deum operari, ut velimus, non tamen praeparando voluntatem per gratiam.* Auxilium itaque, quod ipsi admittebant, non impertiebatur voluntati. Quare ad illud de caecis in Evangelio tribuebant quidem gratia, quod eos transferit Christus; solis tamen ipsis, quod exclamarent: *miserere!* Sic Pelagiani sub finem concedebant, omnia merita praeveriri à gratia; verum tum temporis gratiae vocabulo intelligebant naturam, eamque concessam nobis à Deo fuisse, siquidem antequàm essemus, mereri nihil poteramus.¹¹

3. SUNT, qui observent ex loco nuper recitato, voluisse Semipelagianos, non modò initium fidei, sed & illius in finem perseverantiam non Dei donum esse; sed in nostra situm esse facultate.¹² *Contendebant, fidem & incipere habere, & in ea usque in finem permanere, tanquam id non à Domino accipiamus, nostrum esse.*¹³ *Nolebant praedicari, dona Dei esse, ut veniatur ad fidem; & permaneat in fide.* Adjungebant se ad Catholicos oppugnando Pelagianos inficiantes, quòd virtutes à Deo proveniant: acriter tamen renuebant confiteri, datum

(1) Ep. 226. n. 2. (2) Ep. 217. n. 29. (3) con. Jul. l. 4. c. 8. (4) Ep. 225. n. 4. (5) ibid. (6) con. Jul. l. 3. n. 2. (7) ad Bonif. l. 1. n. 37. (8) Op. imp. l. 3. n. 103. de bon. Persev. n. 42. (9) de Præd. SS. n. 7. (10) Epist. 217. n. 1. (11) Ep. 194. n. 3. (12) de bon. Persev. n. 42. *Qui solum initium fidei, & usque in finem perseverantiam* &c. (13) n. 43. 45.

etiam ab ipso nobis fuisse initium fidei, & in eâ usque in finem perseverantiam. De perseverantiâ etiam agebant, nec ad incertum voluntatis Dei deduci se velle, ubi eis, quantum putabant, ad obtinendum, vel admittendum evidens (*) erat quaecunque initium voluntatis.

(*) f. sufficiens

4. CONGRUENTER his omnibus, credebant Semipelagiani, venire prædestinationem à primo liberi arbitrii conatu, quem vires quidem naturæ exseruissent, gratia tamen confirmasset. Deumque præelegisse eos, quos se ipsis credituros, desideraturos, atque ita suam opem merituos prævidisset. Exponit D. Prosper: ² *Præcisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in Regnum suum . . . qui credituri sunt, quive in eâ fide, quæ deinceps per gratiam sit juvanda, mansuri sunt.* Habemus item, censuisse eos: *Præscientiam, & prædestinationem, vel propositum ad id valere, ut eos præscierit, vel prædestinaverit, vel proposuerit eligere, qui fuerant credituri.* Nec de hac fide posse dici: *Quid habes, quod non accepisti? cum in eadem naturâ remanserit, licet vitiosa.* Habemus in eadem Epistolâ, contendere eos, quidlibet donatum sit prædestinatis, posse & amitti, & retineri propriâ voluntate. Videmus ibidem negasse, eligendorum, rejiciendorumque esse definitum numerum; siquidem volebant, posse quemlibet suis credendo viribus primorum se numero inferere. Præsidium querebant sibi ex iis, quæ Augustinus hoc adhuc errore præventus protulerat. Atque adeo cetero sibi persuadebant Pelagiani, & Semipelagiani, non provenire prædestinationem, nisi ex præscientiâ operum à solo proprio valore originem ducentium, seu à fide, & bonâ ex solo libero arbitrio enatâ voluntate; ut cum id in infantibus locum habere non posse intelligerent, adjecerint animum ad docendum, quod fors eorum pendeat ex eo, quod Deus præviderit, quid si diutius vixissent, fuissent operaturi; ita ut in ipsis attendantur opera, nec facta unquam, nec futura. Mirabatur Augustinus, quomodo tueri possent, propterea quibusdam non dari, quibusdam morituris parvulis (baptismi) gratiam dari: quia eorum futuras prævideret voluntates, quas habituri essent si viverent, cum definiert Apostolus: *unumquemque recepturum esse, prout gessit in corpore sive bonum, sive malum.* ³ D. Prosper in Epistolâ relatâ: *In tantum, ait, quibuscunque commentitiis meritis electionem Dei subijciunt, ut, quia præterita non extant, futura, quæ non sint futura, constringant; novoque apud illos absurditatis genere, & non agenda præscita sint, & præscita non acta sint.*

VIII. SOLENNE cum primis erat Semipelagianis, perperam intelligere D. Augustinum, aliosque ejus sequaces; iisque imputare, quod fati quoddam genus inducerent, ex quo indeclinabiliter penderet aut salus hominum, aut interitus. Ab ipsis jam inde hæresis Pelagiana primordiis discimus ex Photio, ⁴ quomodo Catholicis summâ injuriâ affinxerit Theodorus Mopsuestenus, doceri ab ipsis, post peccatum primorum parentum non peccare amplius hominem voluntate, sed naturâ; matrimonium naturæ perversæ opus esse, & alios hujusmodi errores. Massilienses modò sinistra accipientes doctrinam Augustini; modò sublimitatem argumenti non rite assequentes conturbabant Galliam, affirmantes, ex ejus sententiâ quidquid etiam continentur homines, si aliud habeat prædestinatis electio, vanam esse aditantis intentionem. Removeri itaque omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem, si nemo aliud esse possit, quàm factus est. ⁵ Existimabant ipsi, si gratia omne meritum præcedens admitteretur, concedendum pariter esse, quod alios condât Deus Cælo, alios inferno; sique daretur, adscribenda esse Deo justorum merita, nec crescere posse, nec diminui præfinitum electorum numerum; nihil ponderis amplius habituram esse omnem exhortationem, omnem incitationem ad bonum, omnem item laborem nostrum, & conatum. ⁶ *Nam si sic prædestinati sunt,* inquebant ipsi, *ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quod pertinet tanta extrinsecus corruptionis instantia? Minæ, & persuasiones locum non habent apud eam voluntatem, cui nolle justitiam inevitabili necessitate conjunctum est.* Inaudirum ipsis videbatur, nihil nos posse efficere, nisi credendi voluntate donatâ. Excludi putabant omnem prædicandi vigorem, si nihil, quod per eum exciteretur, in hominibus remansisset dicatur. Apparet manifestè ex his omnibus eorum hallucinatio; at error simul, atque obstinatio. Per gratiam prævenientem intelligebant gratiam, quæ se ipsâ producat actum, ita quidem, ut cum primum credit, atque ad Deum se convertit homo, voluntas se habeat merè passivè. Contendebant ex eo, quod fides esset donum Dei, deduci debere: eos, qui hoc carent, manere quasi fatali quâdam necessitate in antecessum damnatos; atque omnino ad omne bonum, misericordiamque à Deo impetrandam inhabiles. Non reputabant secum, licet voluntas destituatur facultate se ipsam ad

Hæretici Catholicis affungebant doctrinam de Fato.

(1) Ep. 226. n. 4. (2) in t. Aug. Ep. 225. n. 3. item Epist. 226. n. 4. 6. 7. (3) Epist. 217. n. 22. n. 5. (4) Bibl. Cod. 177. (5) Prosp. Epist. in t. Aug. 225. n. 3. (6) Epist. 226. n. 5. & 2.

bonum excitandi non ideo tamen ipsam carere illâ gratiâ, quæ hanc ipsi largiatur potestatem, eamque exciter. Hinc Augustinus ipse sibi conscius, quàm longè ab huiusmodi erroribus sua abesset sententia, non poterat mirari satis, quâ fronte sibi possent quidam obijcere, *quod fatum asserat nomine gratiæ*, ¹ nec vereri quosdam Episcopos *se fati assertorem criminari*. Dicebat itaque illis: ² *Ita ne d. novi hæretici Pelagiani, quisquis dicit gratiâ Dei omnia boni merita præveniri. Et fatum vobis videtur asserere?* Extremo etiam vitæ tempore acerbè ferebat, obijci sibi à nonnullis, *quod fato tribuat Dei gratiam*. ³ De Prædestinatione docet D. Prosper, censuisse Semipelagianos, hanc ab illis fuisse obtentam, quos credituros præscivit (naturalis virtute facultatis, ut postmodum insinuat) *quæ in eâ fide, quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt*. ⁴ Verbo: *Refugiebant fateri, Divinæque adscribere operi Sanctorum merita* . . . , *nec acquiescebant, prædestinatorum numerum nec augevi posse, nec minui*. ⁵

Celestinus
vindictat
Augustini
doctrinam.

IX. Hæc porro hæresis tametsi non ita statim fuerit directè condemnata, & disjecta, uti Pelagianæ evenerat; demum tamen & ipsa profligata fuit, adeò quidem, ut diversis temporibus variis fuerit modis debellata, atque proscripta. Ac primum quidem adversus eam militabant condemnationes quædam Pelagianorum. In Diopolitana Synodo, in quâ causam dixit Pelagius, vetitum fuit dicere, gratiam dari secundum merita; id quod & erat Semipelagianum principium. Invalescens autem magis in dies post Augustini obitum huiusmodi per Galliam doctrinâ, D. Prosper, ut malo occurreretur, unâ cum Hilario se Romam contulit; ubi ipsis Pontificem de ingenti provinciis istis incumbente periculo certorem reddentibus, edidit Celestinus Epistolam gravissimam inscriptam Episcopis Galliæ; reprehendens eos, quod ex Clericis suis complures, qui ⁶ *diffensionem Ecclesiarum studeant*, perniciosas disseminare permittant quæstiones. Non dissimulavit, vehementer se vereri, nè ipsorum in re adeò gravi silentium conniventiam subindicaret, & consensum. ⁷ Accusavit eos, quod non ipsi pro concione dicerent, sed Presbyteris id munus committerent, quos utpote imperitos Doctores *discere potius oportebat, quàm docere*; qui item scire debuissent se ipsis propter dignitatem Episcopalem esse subiectos. ⁸ Mirabatur dein-

de accusari præ ceteris, ac convitiis onerari Augustinum, quem *sinistræ nunquam suspicionis rumor aspererat*; quique tantâ semper affluere æstimatus fuit scientiâ, ut à Majoribus *inter optimos semper Magistros* habitus fuerit.

2. Ad calcem huius Epistolæ multæ congeruntur autoritates adversus illos, qui, tametsi anathema dicebant Pelagio, tamen Catholicæ etiam doctrinæ Magistros audebant damnare erroris. Et quoniam ea tantummodo sequi, & probare ⁹ profuebantur, quæ Sacratissima B. Petri Apostoli Sedes, per ministerium Præsulum suorum contra gratiæ inimicos sanxerat, & docuerat, id potissimum ob oculos ponimus, quod Romanæ Ecclesiæ judicaverant Rectores. Autoritates istas ab ipso Celestino allatas fuisse quondam, creditum fuit; at modò posteriore manu appositæ esse existimatur. Forsan illas ipse congessit, non autem ut Epistolæ huic, in quâ de istis nè verbum meminit, attexerentur. Forsan etiam illis postremam nondum manum admoverat, ideòque publici eas juris non fecit. Adducuntur ibidem sententiæ quædam ex Epistolis Innocentii I. & Zosimi, quæ etiam Semipelagianos feriunt. Clauditur denique, dicendo: *certas quæstiones difficiliore & profundiores ad confitendam Divinam gratiam non esse necessarias. Præclara admiscuntur sententiæ à Compilatore, nimirum: nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit; ita Deus in cordibus hominum; atque in ipso libero operatur arbitrio, ut omnis bona cogitatio, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit. -- Ab ipsius gratia omnia hominis merita præveniuntur, per quam fit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere*. ¹⁰ Quibus omnibus enuntiatis, conficiuntur Semipelagiani. Non sufficiebant tamen hæc omnia obtinatis in ordinem redigendis. Incaustum cavillabantur, impertitam libris Augustini à Papa approbationem intelligendam de iis, quos primum, non quos postremò conscripserat. Nihil tamen contra homines istos decretum fuit ante annum 494; quo Gelasius Papa cum Synodo suâ Romanâ libros Cassiani, & Faustii retulit inter apocryphos, extollens eodem tempore illos, quos Prosper Aquitanicus, & Augustinus conscripserant. Idem Pontifex in Epistolâ ad Episcopos Piceni urgebat Pelagianos, docens, illud Pauli: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, indigitare, primum gratiam, ac deinde nos operari, fidemque ejus nobis beneficio obvenire; quapropter & ab Apo-

(1) ad Bonif. l. 2, n. 10. Unde autem hoc visum fuerit in nobis obijcere, quod fatum asseramus sub nomine gratiæ &c. nos fati assertores esse criminantur, nec verecundantur Episcopi Pelagiani &c. (2) ibid. n. 11. (3) de bon. Persév. n. 29. (4) Epist. 225, n. 3. (5) n. 6. (6) Celest. Ep. 21. n. 2. Timeo, nè connivere sit hoc tacere; in talibus causis non caret suspitione taciturnitas &c. (7) Sciatur, si tamen censentur Presbyteri, dignitate vobis esse subiectos, sciatur &c. (8) n. 3. (9) ibid. (10) n. 9, 10, 14.

stolo dictum fuit: *Vocavit me per gratiam suam, ut revelaret Filium suum in me.* Demum, *evidenter apparere, non naturalis libertatis arbitrium gratiam promereri; sed potius per gratiam recipere, ut à servitute se eximat, atque asserat in libertatem.*¹

X. NULLA tamen tot declarationum ratione habità persisterant in errore Semipelagiani: quare Cæsarius, Arelatensis Episcopus, operam se ludere, istique obstinationi superanda se imparem fore conspicatus scripsit ad Felicem IV. Pontificem, ejusdem auxilium implorans. Remisit ei Felix Sententiarum ex Patribus, ac potissimum Augustino deceptarum seriem ceu quandam securi dogmatis collectionem. Accidit autem, ut adveniret hoc Rescriptum, collectà Arausione inaugurandæ Basilicæ causâ Synodo. Communicavit itaque illud Cæsarius, iussitque recitari. Decius Junior Consul, ab ipso Cæsario in subscriptione notatus, docet nos, id accidisse ad annum salutis reparatæ 529. Synodus porro doctrinam in Canonum formam redegit, dicens in Præfatione: ² Intelleximus esse nonnullos, qui de gratiâ, & libero arbitrio per simplicitatem minus cautè, & non secundum Catholicæ fidei Regulam sentire velint. Unde id nobis secundum auctoritatem, & admonitionem Sedis Apostolicæ visum est, ut pauca capitula ab Apostolicâ nobis Sede transmissa, quæ ab antiquis Patribus... SS. Scripturarum voluminibus collecta... & ab omnibus observanda sunt, proferremus. In primo itaque capitulo affirmatur: repugnare Scripturæ, si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est secundum corpus & animam læsum fuisse hominem, animæ libertate illasâ durante, dicit. Decimo tertio deinde exponitur: *arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum nisi per gratiam baptismi non posse reparari, quo (*) amissum, nisi quo potuit dari, non potest red-*

(*) L. quod

di. In secundo asseritur, adversari D. Paulo, qui opinatur, peccatum Adæ, ejusque pœnam non esse transfusam ad posteros. In tertio *Isidus & S. Paulo contradicere pronunciat, si quis invocatione humanâ gratiam Dei dicit posse conferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis.* In quarto *Spiritus S. resistere declaratur, si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare; non autem, ut etiam purgari velimus per S. Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri, consteatur.* In quinto asseritur Apostolo contrarius, si quis augmentum, ita & initium fidei... non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti... sed naturali-

ter nobis inesse dicit. Condemnatur in octavo, si quis alios per misericordiam, alios vero per liberum arbitrium, & se ipsos ad fidem venire posse asserit; cuius erroris insimulatus à Prospero fuit Cassianus. In pluribus aliis capitulis idem quoad rem repetitur, & stabilitur; quod nempe nihil boni fiat solius arbitrii viribus; quod omnia sint donum Dei, suâ ipsum nos misericordiâ præveniente. Concludunt demum Patres: *Ita inclinatum, & attenuatum per prævaricationem esse arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est (ex fine nempe supernaturali) possit, nisi gratia eum, & misericordia Divina præveniat.* Reperunt sub finem: *In omni opere bono non nos incipere, & postea per Dei misericordiam adjuvari: sed ipsum nobis nullis præcedentibus bonis meritis & fidem, & amorem sui inspirare, ut & baptismi Sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adiutorio ea, quæ sibi sunt placita, implere possimus.*³

2. ATQUE hoc demum modo solemniter decreta, ac declarata fuit gratia, quæ bonam etiam voluntatem præcedit; ac proinde Semipelagiani insinuante, atque auctoritatem suam interponente Apostolicâ Sede accenti reapse fuerunt hæreticis, quos nō ipse quidem Prosper eo hætenus nomine appellaverat. Tueri se incassum conati sunt, dicentes, fuisse hanc provincialem Synodum, paucorumque Episcoporum alium in finem congregatorum. Dixerunt, itidem non fuisse speciatim confirmatam à S. Sede. Habetur tamen Epistola Bonifacii II. qui Felici successit, ad Episcopum Arelatensem, à quo hæc de re interrogatus fuerat, in quâ eadem sensa & auctoritates repetit; declaratque, se supra scriptam confessionem consentaneam Catholicis Patrum Regulis approbare. Non præmittendum est, docuisse eodem tempore illius Concilii Patres: *Dei gratiam etiam post adventum Domini omnibus, qui baptizari desiderant (necum omnibus, qui baptizati sunt) non in libero arbitrio haberi, sed Christi... largitate conferri.* Adjungere huic etiam aliud hoc insigne documentum: *Secundum Fidem Catholicam credimus, quod acceptâ per baptismum gratiâ OMNES BAPTIZATI, CHRISTO AUXILLANTE, ET COOPERANTE, QUÆ AD SALUTEM PERTINENT, POSSINT, ET DEBEANT, SI FIDELITER LABORARE VOLUERINT, ADIMPLERE.*

Confirmatur hæc Synodus à Bonifacio II.

LIBRI OCTAVI FINIS.

(1) Gel. Epist. ad Episc. Pic. (2) Synod. Araus. in Præfat. (3) ibid. v. Cap. I. XIII. II. III. &c.